



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eisdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

Tolosano à bonæ memoriæ magistro Milone Notario nostro tunc apostolicæ sedis Legato factorum apud quosdam dubitatione suborta, ipsius Comitis devotio postulavit à nobis qui sint dicendi hæretici manifesti. super quo eidem duximus respondendum &c. sicut continetur in ^{id est epist.} *alia supra in eodem tertio folio usque* puniantur. Præterea cum pedagia, guidagia, & salnarias ipsi Comiti Legatus interdixit memoratus, auctoritate litterarum nostrarum duximus declarandum &c. *ut in ipsa usque* introduc-
 ta. Rursum cum præfatus Comes ab eodem Notario receperit in mandatis &c. *ut in alia usque* iustitiam exhiberet, hoc taliter intelligendum esse censemus &c. *usque* personis miserabilibus teneatur in ecclesiastico iudicio respondere. Volumus insuper &c. *in eundem serè modum ut in alia usque in finem.* Datum Laterani x. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

ARCHIEPISCOPO, ET SANCTI ANDREÆ & SANCTI SEVERINI DECANIS BURDEGALENSIBUS.

Cum esset dilectus filius nobilis vir R. Comes Tolosanus in nostra præsentia constitutus, venerabilis frater noster Agennensis Episcopus adversus eum proposuit questionem quod ab ipso ac suis Ecclesiis albergarias & procuraciones indebitas exigebat. Quia igitur idem Comes illas, sicut à bonæ memoriæ magistro Milone Notario nostro apostolicæ sedis Legato in mandatis dinoscitur recepisse, propria liberalitate remisit, nos remissionem huiusmodi approbantes, auctoritate litterarum nostrarum duximus inhibendum ne quis eundem Episcopum aut suas Ecclesias super albergariis & procuracionibus huiusmodi molestare præsumat, sed ipse pariter & successores sui perpetuò earum immunitate latentur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus si præfatus Comes contra prohibitionem nostram super hoc eundem Episcopum aut suas Ecclesias molestaverit, præsumptionem ejus per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quod si non omnes &c. tu, frater Archiepiscopo, cum eorum altero &c. Datum Laterani i v. Non. Februarij, anno duodecimo.

E I S D E M.

Cum esset dilectus filius nobilis vir R. Comes Tolosanus in nostra præsentia constitutus, venerabilis frater noster

Agennensis Episcopus est conquestus quod tam ipse quàm nobilis mulier uxor ejus in villa Marmanda & in Villafranca necnon etiam aliis locis diocesis Agennensis nova passagia extorquebat. Quia igitur idem Comes ab huiusmodi passagiorum extortione desistere se promisit, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si fortè, quod non credimus, idem Comes in memoratis locis contra Lateranensis statuta Concilij passagia præsumpserit extorquere, præsumptionem huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quod si non omnes &c. tua, frater Archiepiscopo &c. Datum Laterani i r. Non. Februarij, anno duodecimo.

EPISCOPO VASATENSI, & PRIORI SANCTI MACHARIJ & ARCHIDIAcono VESALMENSIS BURDEGALENSIS & AGENNENSIS DIOCESUM.

Cum manifestis hæreticis à diocesi Agennensi divina providentia depulsis, quidam credentes & fautores eorum latent in eadem, Ecclesiarum & ecclesiasticorum virorum molestacionibus insistentes, sicut venerabilis frater noster Agennensis Episcopus proposuit coram nobis, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus eis qui legitime convicti fuerint super huiusmodi pravitate feodis, possessionibus, & bonis aliis quæ ab Ecclesiis detinent spoliatis, eadem ad jus & potestatem Ecclesiarum ad quas pertinent devolvantur, pœnam consimilem Ecclesiarum agricolis & hominibus infligentes qui convicti fuerint super hæretica pravitate. Quod si non omnes &c. tu, frater Episcopo, cum eorum altero &c. Datum Laterani v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

AGENNENSI EPISCOPO.

Cum esset dilectus filius nobilis vir R. Comes Tolosanus in nostra præsentia constitutus, adversus eum proposuisti querelam quod à te ac tuis Ecclesiis albergarias & procuraciones indebitas exigebat. Quia igitur ipse illas, sicut à bonæ memoriæ magistro Milone Notario nostro apostolicæ sedis Legato in mandatis dinoscitur recepisse, propria liberalitate remisit, nos remissionem huiusmodi approbantes, auctoritate præsentium inhibemus ne quis te aut Ecclesias tuas super albergariis & procuracionibus huiusmodi molestare præsumat, sed tu pariter & successores tui

Epist. 1727. Ut hæretici priventur rebus quas tenent ab Ecclesia.

Epist. 179. Eisdem argumentis cum epistola 176.